



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Acacio Berœæ episcopo. & de Zenone & Aiace viris illustribus, & ob
virtutem claris. Capvt XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

SOZOMENI HISTOR.

esset tum pede iacentem mouens ille qui a stabat, ac simul collaudans quod perquam euidenter mortuum expressisset, erige te ipsum, inquit, vt ex laboribus tuis hunc lantum consumamus diem. Ceterum cum ille consimiliter iaceret, & nihilo magis vel clamantem audiret, vel cunctis viribus obuoluentem sentiret, effuso cursu sacerdotem affecutus imposturae suae certionem facit, ac plorans & capillos vellicans obsecrat, vt socium resuscitet: Atqui Epiphanius hominem hortatus, ne id, quod actum erat, moleste ferret, ab se dimisit: Neque enim quoduis factum Deus simpliciter resoluit, ob id opinor, vt hominibus fidem faciat, quod ipsum cuncta videntem & cuncta audientem decipiant ij, quicumque erga ministros eius sese tales praebent.

*De Acacio Beroeae episcopo. & de Zenone & Aiace
viris illustribus, & ob virtutem claris.*

CAPVT XXVII.

HAEC ita gesta esse accepi: ex eo autem tempore & Acacius inter episcopos clarus extitit, qui iam antea Beroeae in Syria episcopus fuerat: Huius & alia facta scripto digna ferri consentaneum est. propterea quod ad solitariam vitam a puero exercitatus officio suo praecclare functus sit, sed tamen illud maximum virtutis argumentum dedit, quod omni tempore apertum habuerit episcopale habitaculum, vt & cibi & somni capiendi tempore, tum a peregrinis, tum a ciuibus suis, quibuscunque placeret liberè conspiceretur. id quod maxime laudo: Na aut propterea sic vixit, quod sui fiduciae semper habuerit, aut quod hoc exercitij genere naturae procliuatatem ad vitia propensam refrenare cogitarit, vt dum perpetuo se deprehensum iri suspicatur, ab ijs qui ex improviso superuenirent, in continuis excubijs, neque ab ijs deuiaret quae ipsum decebant, & honestis negotijs continuo occuparetur: Eodem tempore etiam clari erant Zenon & Aiax fratres, qui Philosophati quondam erant non in solitudinibus sed in Gaza maritima, quam etiam Maiumam vocant. Ambo autem